TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE

1184. b 2
8

DE NEPHRITIDE.

QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

PLUNKETT LHOYD, A. B. T. C. D.
HIBERNUS.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque ſolitis.

——— *Si renes morbo tentantur acuto,*
Quære fugam morbi. HORAT.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,
Academiae Typographos.
M, D CC, LXX.

43.
10. 10.
453.

Viro Eximio

JOSHUÆ DAVIS,

In Civitate Dublinienſi

Juriſperito Integerrimo,

Omni Doctrina ornato,

Ob morum Suavitatem dilecto;

Propter Amicitiam qua ſe dignatus eſt,

Has Paginas

Summo Obſequio

Dicatas Voluit

AUCTOR.

For Mr. Cadwallader

from his humble Servt.

the author

TENTAMEN MEDICUM

DE

NEPHRITIDE.

EX cognita renum fabrica certe mirum videtur hunc morbum tam raro accidere. cum tam variis mutationibus quotidie iſtae partes ſubjiciantur. tantam ſanguinis copiam continuo accipiant, et praeterea permultae corporis ſecretiones retentae ad haec organa vergant; confiteor me omnino ignorare quamobrem non ſaepius inflammatione laborant. Pendetne ab inſenſibilitate? Omnino ad hanc praecipue cauſam ducor referre multoque magis ob hanc rationem quod homines ſaepe per totam vitam calculos in renibus

habuiſſe ſine ullo dolore, obſervatum eſt; et * Cel. VAN SWIETEN hoc, his verbis confirmat: Obſervata numeroſa habentur, quae docent, in magnatum cadaveribus eviſceratis, ut balſamo condirentur, repertos fuiſſe calculos in renibus, licet nunquam nephritidem paſſi forent; et illuſtris † HALLER, huic opinioni multum favet, de renibus agens, Cum nervi parvi ſunt, ren parum acutum ſenſum habet. Sed his (ut ad rem multum non pertinentibus) omiſſis, ad opus propoſitum perveniam, incipiens, ut ſolito, a morbi definitione. Plurimas nephritidis definitiones, tam veteres quam recentiores medici dederunt. Ex his, illam a Cel CULLEN ‡ nuper traditam hic inſerere volui.

CHA-

* Comment, in Boerh. aph. vol. 3. p. 247.

† Prim. lin. phyſiolog. p. 361.

‡ Synop. morb. p. 263.

CHARACTER.

PYREXIA; dolor in regione renis, saepe ureteris iter sequens; mictio frequens urinae vel tenuis decoloris vel ruberrimae; vomitus, cruris stupor, testiculi ejusdem lateris retractio aut dolor.

SUB hac definitione patet utramque nephritidem, scilicet, veram et calculosam, contineri; sed, quoniam calculum tantum inter causas remotas tradere vellem, partem posteriorem definitionis, videlicet cruris stuporem, testiculi ejusdem lateris retractionem, aut dolorem, omnino omittendam esse censeo; et ad historiam morbi vulgo dictam progredior, quam titulo symptomatum signari mihi arridet.

SYMPTOMATA.

NEPHRITICA omnis febris, eodem modo ac aliae febres, incipit cum frigore

et

et calore alternatim ſuccedentibus: His citius vel ſerius manentibus, tunc febris aſſidue adeſt, quae continuo increſcit ordine certo, dolor peracutus ac pulſans cum magno ardore, paulo nothis coſtis altior, per dorſum tranſit, etiam ad jecur uſque, ſi ren dexter afficitur; ſimiliter ad veſicam in hypogaſtrio juxta pudenda et ad femora *; dolor hicce ſternutamento et tuſſi intenditur; quandoque deliquio corripiuntur, fuſiſque ſudoribus labeſiunt: Inter haec, eſt appetitus proſtratus, itemque nauſea, dolor ventriculi, et crebra bilis ejectio, alvus aliquando conſtricta, aliquando ſoluta, eructationes frequentes; urinae reddendae difficultas, quamvis magna cupiditas; et, ſi fluit, cum ſenſu eſt ardoris; primum excreta limpida eſt et tenuis, nullum ſedimentum deponens; poſtea rubra, craſſa tandem, et mucoſa. Saepe extrema frigeſcunt, ſed praecipue pedes, ut vix aeger erigi poſſit, vel pedibus incedere; decubitus in latus firmum

* Lommii obſerv.

firmum difficilis, facilior ſupinis quam pronis, ſed in latus affectum facillimus; jam, inflammatione remediis non ceſſante, ſuperveniunt pervigilium cum delirio, anxietas, ſpirandi difficultas, dejectiones alvi involuntariae, cum vomitu frequenti; et ſimul extrema algeſcunt; pulſus debiles, celeres *, et intermittentes deprehenduntur; artus convelluntur, tandemque mors, linea ultima rerum. Hanc induit formam nephritis cum fatalis evenit; ſed, cum in ſuppurationem terminatur, adſunt alia ſymptomata, quae hanc terminationem concomitantur, ſcil. horripilationes ſaepe revertentes; pulſatio; ſed dolor miteſcit et tantum gravis ſentitur; minorque febris adeſt. Si haec ſymptomata per aliquod tempus manſerint, tunc ſuppurationem jam factam fuiſſe in parte novimus; et, ubi abſceſſus erupturus eſt, aeger multum inhorreſcit; ſequitur vehementior et febris et dolor; et HIPPOCRATES dicit,

* Van Swieten comm. vol. 3. p. 229.

dicit, Renibus ſuppuratis ſtranguriam adeſſe. Sed pus urinae miſtum ſuppurationem manifeſtat praeſentem, et omne dubium tollit ſignis renis inflammationis praegreſſis. Symptomatibus utcunque traditis, ad cauſas morbi procedo, et imprimis ad cauſas praediſponentes.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Omnes conſentiunt auctores, plethoram et diatheſin inflammatoriam homines huic morbo, aeque ac aliis morbis inflammatoriis, obnoxios reddere; et ſaepe his hoc malo correptis, niſi medicamenta tempeſtiva adhibeantur, fatalis evenit; et quamvis ex ante dictis quiſquis crederet juventuti adeſſe omnia huic morbo faventia, attamen ſyſtematis humani diverſa ſtadia accurate perpendenti clare patebit, quaenam aetas hujus mali periculum ſuſtineat. In ſenectute optime notum eſt perſpirationem

ſpirationem diminutam eſſe; nam hac aetate vaſa exhalantia materiem perſpirationis vehentia propemodum excaecantur; via per cutem denegata, pars ſanguinis aquoſa ſeroſa ad renes vergit; unde fit, quod in hoc tempore omnia vaſa abdominalia magis ſanguine turgent, et his motibus quae inflammationem inducunt multum prona ſunt, quando cauſae, occaſionales dictae, occurrunt. Et HIPPOCRATES, de morbis aetatum diverſarum agens, ponit nephritidem inter morbos huic aetati peculiares.

CAUSÆ OCCASIONALES.

HARUM inter primas, diuretica acria enumerari debent, quae ſtimulo arterias renales ad motus majores excitant, et humores ad haec organa quantitate inſolita trahunt; vulnera et contuſiones renum, quibuſcunque modis illata, ſaepe lethalia ſunt, inflammatione et ejus ſequelis *.

Alia

* Hujus caſum inſignem tradidit Cel. Monro de morbis militum.

Alia ejus occaſio eſt, ſi renes ab iis comprimuntur, quibus colon multum diſtenditur *; uſus veneris nimius; nixus corporis validi, curſus, equitatio, aeſtus, decubitus diuturnus. Quomodo haec omnia agunt, non explicare neceſſarium videtur; et, ſi quis cognoſcere velit, ad Commentatorem BOERHAAVII illum relego qui vix quidquam intactum reliquit. Frigus corpori antea calefacto ſubito admiſſum ſaepe huic morbo originem praebere creditur; et verba HOFFMANNI † huic ſententiae congruere videntur: Nihil ſit tam infenſum quam frigus hybernum, regnante vento Boreali aſpero, et rigido, quo improvide admiſſo, paſſiones hae prompte vel inducuntur vel illico recrudeſcunt: Et haec videtur eſſe cauſa perfrequens inflammationis; ſic enim perſpiratio impeditur, propter ſpaſmum in omnia vaſa cutanea inductum, vertuntur humores ad partes internas,

* Platneri ars medendi. p. 117.

† Vol. 2. p. 148.

ternas, qui facile functiones perturbant; ſed quare in hoc nephritis, in illo enteritis, producitur, plane ignotum eſt. Vermes et pilos ab auctoribus inter cauſas numeratos praetereo, quoniam raro aut nunquam occurrunt.

EVACUATIONES ſolitae ſuppreſſae, inducendo plethoram, facile anſam poſſunt huic morbo dare; et ſuppreſſio menſium vel haemorrhoidum potius pro cauſis praediſponentibus indigitari debent; ſed ubicunque notatae ſunt, GALENUS * ſe obſervaſſe teſtatur, evacuatione per haemorrhoides conſueta intempeſtive cohibita, quoſdam nephritide correptos fuiſſe. Spaſmodicae contractiones fortaſſe inter cauſas numerari debent; cum tamen ſcateant exempla, quam ſaepenumero adſunt affectiones ſpaſmodicae vaſorum renalium in hyſteria et multis aliis morbis: In hiſtoria autem medicinae duo vel tres tantum caſus enumerantur, ubi inflammatio renum videtur ortum duxiſſe ab hac cauſa; ideo aſſentiri non poſſum, hanc

* Comment, in lib. Hipp. de alimento, tom. 6. p. 271.

cauſam eſſe admodum frequentem. Podagra retrocedens vel atonica non raro has partes afficit; et fortaſſis rheumatiſmus, ſubita metaſtaſi, ut ab auctoribus dicta, inflammationem producit. Sed cauſa omnium frequentiſſima eſt calculus partibus diverſis renis haerens *; et calculus uno reni impactus, ſpaſmodicam contractionem alterius producere poteſt; et Cel. WYTT his utitur verbis: "When † one of the kidneys is inflamed, little urine is ſeparated by the other, probably on account of a ſpaſmodic ſtricture of its ſecretory veſſels." Et verba GAUBII ‡ his conſentiunt. Facit autem proximus iſtarum partium nexus, ac mutua actionum, quas exercent, conſpiratio, ut altera alteram facile in mali communionem pertrahat. De origine calculi nil exponere enitor; cum humorum corporis humani indoles tam atra caligine obvolvatur, nec hujus loci eſt

* Van Swiet. loco relato.

† On nervous diſorders, chap. 25.

‡ Pathologia, p. 448.

eſt: Sufficit hic cognoſcere cauſam praeſentem ſine hujus indagine; his tandem finitis, ad cauſam proximam incertus me confero, rem arduam plenamque difficultatis; ſequimur * vero probabiliora, nec ultra quam id quod veriſimile occurrit progredi poſſumus; et refellere ſine pertinacia, et refelli ſine iracundia, parati ſumus.

CAUSA PROXIMA.

Cum tot lumina medicinae multum de cauſa proxima inflammationis inter ſe diſcrepent, non noſtrum eſt certe tantas componere lites; ſed, ex cauſarum praediſponentium et remotarum contemplatione, veriſimile videtur, illam conſtare in majore ſanguinis raptu, (ſpaſmo et irritationi conjuncto), impetu vehementiori quam ſolito in partem ruentis; et ex methodo medendi ab omnibus uſitata, haec poſtea proba-

* Ciceron. diſp. Tuſculan. lib. 2.

probabilior apparebit. Sed in tam incerta et obſcura quaeſtione, verecundia* et diffidentia potius quam opinionis tenacitas mortalibus caecis conveniunt; neque turpe erit ingenue ignorantiam fateri in illis, quae non intelligis, cum ſpecioſiſſimae etiam hypotheſes vix reſpondeant omnibus phaenomenis.

DIAGNOSIS.

Hæc ab omnibus ſemper ardua credebatur; et merito: Nam cadaverum inſpectio renes affectos fuiſſe oſtendit, cum nullum ſymptoma adfuerit, quod vel minimum lucis de morbo praeſenti dare potuit. Sed, quoniam inter nephritidem veram et calculoſam diagnoſin dare tentabo, facilius erit hujus diſtinctionem ab aliis morbis ſtabilire.

A nephritide calculoſa, febris in nephritide vera, a primo inſultu, dolorem

* Cel. Home, Principia Med. § 5. p. 27.

rem * comitatur, vel preſſo pede ſequitur; nullaſque remiſſiones habet, praeter illas omnibus aliis febribus inflammatoriis communes: In altera vero, haud ſupervenit febris, niſi poſt cruciatus diu toleratos; multas patitur remiſſiones; et adſunt, urina ſaepe ſabuloſa, ſtupor cruris, teſtiſque ejuſdem lateris retractio; quae ſane ſymptomata, tametſi non perpetua in omnibus, tamen nephritidem † calculoſam frequentius comitantur, quam quidem nephritidem inflammatoriam: Et ſuſpicandum eſt, calculum cauſam eſſe, quando hominem aggreditur cui hereditarius eſt: Temperamentum eſt quoddam magis obnoxium calculo; ſed non facile eſt hoc depingere. Dicere ſufficit, idem eſſe cum arthritico; et pro certo acciperem, calculum in culpa eſſe cum podagros corripuerit; raro enim quiſquam ab arthritide afficitur in juventute, quin calculum generet citius vel ſerius. Ex antedictis

* Cull. Prælect.

† Van Swieten, vol. 3. p. 223.

dictis facile diagnosin erui posse spero; magnique est momenti; quoniam diversam medendi methodum postulant.

Ab enteritide. Hic aliquando diagnosis est anceps, sed sequentibus distinguitur. * Differt ab enteritide, quod dolor ad exteriora refertur; in enteritide, splenitide, ad anteriora seu ad abdomen; alvus raro in nephritide adeo pertinaciter clauditur, quin clysmatibus emollientibus facile obediat; et facies in enteritide quae minime placet, vel aliquid insoliti †, ut oculos exterrefactos, livorem circum labra ostendit; pulsusque humiles et debiles potius, et qui, si bene attendas, sibi subobscure dissimiles: Hisce symptomatibus distingui possunt imprimis si morbus non admodum vehemens fuerit.

A pleuritide. Haec etiam a priori facilis appareret; sed, cum Cel. Baronetus Pringle his verbis utatur, fortassis distinctio dubia ‡ videatur.

"It

* Sauvages, vol. 2. p. 510.

† Morgagni de causis et sedibus morb. vol. 2. p. 61.

‡ Diseases of the army.

"It is to be remembered, that, in theſe "diſorders, the pain may be felt in any "part of the cheſt, behind or before, and "ſometimes ſo low down, as to be miſta-"ken for an inflammation of ſome of the "abdominal viſcera, ſuch as the liver, "ſpleen or kidneys." Sed venia tam illuſtris viri, ex cujus ſcriptis me multa utiliſſima hauſiſſe gratus recordor, facile diſtingui poſſunt. In nephritide non adſunt dolor lateris valde auctus in inſpiratu, decubitus in latere affecto moleſtus, vel tuſſis.

Ab hepatitide. Adſunt dolor ad claviculam et ſummum humeri dextri; hypochondrii dextri tenſio et dolor, ſaepe pungens, pleuritici inſtar, ſaepius obtuſus, abſque ſignis ullis nephritidis.

A lumbagine rheumatica Sydenhami. Abſentia febris et affectionum ventriculi, dolorque ſaepe in hoc morbo revertens.

A lumbagine inflammatoria *. Quod aeger antrorſum flexus erigat truncum ſine notabili dolore; in lumbagine, cum atroci, nil de diagnoſi reſtat, niſi ſignis quibuſdam illam a colica ſeparare: Non ullo modo dignoſci poſſunt, niſi praeſentia † febris in nephritide, et ſubita mutatione doloris in colica; omnia enim alia ſymptomata in colica obſervantur, et quandoque etiam exercitatos in praxi fallunt. Verum hoc parum damni afferre aegris poteſt, cum in initio hi morbi eadem medela indigeant.

PROGNOSIS.

UTILITAS magna hujuſce partis medicinae ab omnibus conceſſa; ſed quam incerta etiam peritiſſimis nota eſt: Cum tamen nihil magis confert ad famam medici, quam futurorum praedictio, hic tradere

* Sauvages 504.

† Gregory's prælections.

dere volui tam fausti quam infausti ominis signa, a prioribus incipiendo.

BONI OMINIS SIGNA.

Si, idoneis remediis exhibitis, dolores sensim pedetentim cessant, urinae copiose fluunt crassae, sudor calidus per totum corpus diffusus, sitis minuta, pulsus molles pleni et aequales prognosin faustam praenunciant, melancholicis et nephriticis succedentes haemorrhoides *, bonum; et aliquando in fœminis menstrua morbum judicant feliciter.

MALI OMINIS SIGNA.

Si dolor in loco pulsans, sternutamento auctus, et gravitas manent, sudor odorem urinae emittens, febrisque non

* Hipp. aph. 10. § 6.

minuitur, ſed potius increſcit, crebrum meiendi deſiderium, magna difficultas, urina fuſca et mali odoris, frequens bilis vomitus, ſingultus, pulſus debilis vel intermittens, dolores ſubito evaneſcentes, omnia infauſti ominis; ſi ſupervenit delirium vel convulſiones cum ſudoribus gelidis, mortem inſtantem praedicunt; etiam ſigna multo his mitiora, magis experto, viderentur infauſta.

SECTIONES CADAVERUM.

UNUM vel alterum caſum hic notare placet, ne hucuſque tradita ficta vel vana apparerent. Puer ſeptennis, alias ſanus, per unum aut alterum * diem cephalia affectus eſt; ſucceſſit lumborum dolor cum febre conjunctus, ſicut etiam urinae retentio, ita ut ne guttulam fere excernere poſſet, qua demum, fruſtra omnibus tentatis, ſeptimo morbi die enecabatur. Sec-

to

* Hildan. obſerv.

to cadavere, deprehenditur ingens et insignis renum partiumque circumjacentium inflammatio, cum variis gangraenae notis. Et, apud BONETUM *, insignis dissectio, ubi in rene suppurato quatuordecim libras ponderante, inventa fuit cystis, pus continens, crassitiem aequans pellis vervecinae. Permulti alii casus inflammationem antegressam ostendentes, possunt apud Cel. MORGAGNI, De causis et sedibus morborum, atque LIEUTAUD, in Historia ejus anat. medica, passim inveniri.

METHODUS MEDENDI.

HIS igitur, fortasse nimis breviter, percursis, ad medelam hujus morbi pervenio; relictis exulcerationibus, variisque aliis affectibus, quos imprudentia medici vel vis morbi excitaverat, ad benignam resolutionem animum verto.

Indi-

* Sepul. anatom. tom. 2. p. 567.

Indicationes curatoriae ſunt,

I. Impetum auctum ſanguinis per totum ſyſtema vaſaque renalia minuere.

1. Quantitatem ſanguinis auferendo:
   a. Venae ſectione;
   b. Sanguiſugis;
   c. Cucurbitulis cruentis.
2. Alvum ducendo:
   a. Purgantibus leniſſimis;
   b. Clyſmatibus emollientibus.
3. Regimine antiphlogiſtico.

II. Spaſmum ſolvere.

1. Sanguinem ad corporis ſuperficiem alliciendo:
   a. Diaphoreticis; praecipue
   1. Salibus neutris;
   2. Praeparationibus antimonii.
2. Veſicantibus et rubefacientibus.
3. Balneo tepido:
   a. Semicupio;
   b. Fomentationibus.

III. Symptomata urgentia levare; Opiatis.

Reſtat

Reſtat tantum ut pauca de ſingulis remediis dicam.

VENÆSECTIO.—Quomodocunque hujus remedii operationem luſtrare voluimus, nemo inficias ibit, hoc eſſe in omni inflammatione utiliſſimum. Cum tamen rem diligenter exploramus, facile percipimus, quam parum ad verae medicinae praxin contulerint leges derivationis et revulſionis de venaeſectione, a phyſiologicis propoſitae. Omnia enim experimenta, omneſque obſervationes, perſpicue demonſtrant emolumenta maxime oriri ex tenſione minuta ſyſtematis. Hoc clariuſque patebit, ex contemplatione rerum, quibus efficaciſſimum redditur, quod fit, ſubita eductione, pleno rivo, ex patulo vulnere; et, ut omnia laxarentur vaſa, remediumque potentius evaderet, evacuatione protracta etiam ad deliquium animi: Haec omnia manifeſtant venaeſectionem agere tenſionem ſyſtematis minuendo. Quantitatem vero ſanguinis idoneam in omni caſu auferendi, nemo adhuc, quantum novi, auſus

ſus eſt principia ponere; et, quam ineptum foret talia tentare, ſatis obvium eſt; ſed pro viribus, vehementia ſymptomatum, et aetate aegrotantis, operatio iteranda eſt. Quid de iis ſentiendum eſt, quos uſum hujus evacuationis coercentes video, intra ſpatium quatuor dierum? Certe nil penſi haberem. Aiunt enim, poſt hoc tempus, morbum in ſuppurationem tranſire; ergo venaeſectio foret cum damno. Sed, quando ſuppuratio a ſtatu effuſionis, non a duratione morbi, pendet, ut omnes obſervaverunt in pleuritide et peripneumonia, morbum ad diem nonam progredientem, poſtea tamen reſolutione benigna terminantem; ea lege, haec erunt ſatis ad hanc opinionem de regulis venaeſectionis evertendam. Semel hunc morbum quaſi jugulari vidi, ſolo hujus remedii uſu. Antequam unciae ſanguinis decem eductae fuerunt, ſymptomata graviora, qualia ſunt, urinae ſuppreſſio, dolor ad ſummum auctus remota fuerunt; iterata vero operatione, omnia ſymptomata evanuerunt;

nuerunt ; ſomnus vires renovans aegrum excepit, qui proximo die priſtina ſanitate gaviſus eſt. Hactenus de miſſione generali ; nunc ad topicam, ſanguiſugis et cucurbitulis, me confero. Medici, liberum uſum venaeſectionis timentes, ad miſſionem ſanguinis topicam confugerunt, praxin recentem, certeque utilem ; hac, partis affectae vaſorum tenſio ſtatim afficitur, relaxatioque inducitur, multaque incommoda ſuborientia ex altero fonte evitamus. Sed, ut opinor, hoc aptiſſime fit cucurbitulis cruentis ; nam quiſquis, in uſu hirudinum vel minime verſatus, bene novit, quantum moleſtiae et moraé earum applicatio adferat. Saepe vulnera relinquunt ſanguinem fundentia, vix, niſi cum labore, ſiſtenda. Inſuper ignari ſumus quantitatis ablatae. Per cucurbitulas vero eductio ſubitanea eſt ; quantitatem debitam detrahere, atque facilius aeſtimare, poſſumus. Rationibus iſtis motus, hirudinibus cucurbitulas cruentas antiponerem. Si aeger languens manet, magna jam quantitate

quantitate ſanguinis ex ſyſtemate miſſa, et doloribus non evaneſcentibus, vel multum minutis, haud abſque fructu applicarentur cucurbitulae, cum ſcarificatione. Sed ſola experientia nos hac in re certiores faciet.

PURGANTIA leniſſima et clyſmata emollientia. Haud tamen exſpectandum eſt, morbum ab iis unice curandum eſſe; tantum ingeſta quae corpus calefaciunt, vel chylum minus bonum praebitura ſunt, leniter detrudunt. Pondus ex his et foecibus in vaſa renalia renes et ureteres, auferendo, portam urinae dant, clyſmatibus viam aperiunt, ſyſtema refrigerant. Sed, cum tam multa et perpulchra de uſu catharticorum et eorum noxa * in febribus, niſi in his bilioſis dictis, nuper tradita fuerunt, etiam hic caute uſurpanda ſunt. Argumenta vero dare quibus periculoſa probantur in febribus, non hic loci eſt; et, ſi unquam propinantur, ſolum mitiſſima et leniſſima optima, qualia ſunt manna,

* Cel. Cull. prælect.

na, oleum ricini, tamarindorum et caſſiae pulpae, fructus horaei, et quaecunque alvum ſine ſtimulo generali leniter ſolvunt. Attamen, ſi alvus poſtea clauſa maneat, enemata ex decoctis emollientibus injicienda ſunt, quae alvum humectant, inteſtina craſſa evacuant, renes tam colo propinquos fovent et laxant. HOFFMANNUSQUE * haec habet, In nephritide, tam inflammatoria quam calculoſa, primum et princeps auxilium in clyſmatibus demulcentibus ano infuſis, quae ſine ſtimulo ſalino et purgante paranda, ex lacte, ſero lactis, vel aqua pura, diutius retineri debent, quo ſpaſmos laxant, et flatibus ſic exitum parant.

REGIMEN ANTIPHLOGISTICUM. — Reſpicere rationem victus maxime neceſſarium eſt: Nil committere venis niſi lene decet; ciborum vero ſtimulantium, vini aut liquorum inebriantium, ſtimulus vitandus: Infuſum lini, decoctum altheae, emulſio Arabica, hic multum conducunt. Calor praecipue ex corpo-

* Hoff. 2. vol. p. 149.

ris motu vel ſtragulorum pondere oriens cavendus eſt; aër in cubiculo intra 60 gradus thermometri Farenheitiani ſervari debet. Praeter tamen requiem, certa corporis poſitio prae aliis eligenda; ea ſupina vel reclinata. Nam omnes infra cor partes, praeſertim quae magnis arteriis deſcendentibus immediate ſubjacent, homine erecto, replentur; recumbente, ſanguis per totum corpus aequabiliter diſtribuitur. Verbaque * CELSI his congruunt: Oportet conquieſcere, cubare molliter, ſolvere alvum; ſi aliter non reſpondet, etiam ducere; ſaepe deſidere in aqua calida, neque potionem frigidam aſſumere. Haec de regimine ſatis; quod idem eſt in omnibus morbis inflammatoriis, et tam bene notum, ut ſpecialiter enumerare ſupervacaneum foret.

DIAPHORETICA.—Febre et diatheſi phlogiſtica imminutis, per ſanguinis miſſionem, aliaque remedia, tunc tuto adhibentur

* Lib. 4. cap. 10. p. 217.

bentur ſudorifica. Sudor vero, per acria, calida, vel ſtimulantia, quae febrim et inflammationem adaugent, nequaquam alliciendus: Miſtura ſalina, ſpir. minder. nitrum, acetum, et ſimilia, ſi non proſunt, vix nocent; et, ut utilia ſint, ubertim inhauriri debent, praeſertim ſi morbus ſolvi tendit ſudoribus ſponte emanantibus. Sed praeparationes antimonii, inter quas tartar. emet. primum locum obtinet, quodque nunc tantum invaluit, parvis doſibus repetitis, ad nauſeam ſolummodo excitandam, maxime ad foramina cutis tendit, et perſpirationem promovet, ſpaſmum forte a ſuperficie ſubmovendo. Quomodocunque autem res ſe habeat, experientia confirmavit, uſum etiam emeticorum in inflammatione cum febre.

VESICANTIA et RUBEFACIENTIA.— Quamvis omnium experientia auctorum docuerit utilitatem eximiam veſicantium in morbis inflammatoriis, cavendum tamen, ne in errorem incedamus eorum applicatione in hoc morbo. Summa enim cum

cum cautela uſurpanda ſunt; ſiquidem tam proclivia ad ſtranguriam excitandam. Rubefacientia igitur praeponenda ſunt, quae parari poſſunt ex ranunculis pratenſibus in pultem contuſis; vel, ſi deſunt, ſemina ſinapi effectus fere eoſdem praebent.

Balneum tepidum, Semicupium, &c.— Medici antiqui balnea medicamentis variis ſemper impregnare ſolebant, quae vim diſcuſſoriam poſſidere tunc exiſtimabantur: Sed recentiores, ſoli aquae tepidae uſui confiſi, haec omnia, ut moleſta, vana, et inutilia, abdicaverunt. Balneum eſſe tutiſſimum et efficax remedium in omni inflammatione abdominis, debitis ſanguinis evacuationibus prius celebratis, omnes conſentiunt medici: Attamen de operatione diſcrepant. Verum enim vero cuique, non perfunctorie conſideranti nexum ſyſtematis noſtri, praecipue nervoſi, reſpectu tenſionis patebit, balneum, relaxando cutem, et neceſſario vaſa innumera cum extremitatibus nervorum juxta collocatis,

locatis, inſtrumentum fore minuendi tenſionem totius ſyſtematis, ſed partis praeſertim cui applicatur. Hinc, ut opinor, modum operandi patebit. Cavendum tamen, ne nimis diu aeger in balneo retineatur, nec calor aquae corporis ſani calorem ſuperet; aliter, ſtimulo caloris ſymptomata pejora evaderent.

Opiata.—Inquietudo et violentia doloris medicos ad uſum intempeſtivum horum impulerunt. Sed, in omni fere caſu ubi venaeſectio utilis eſt, vix exhiberi debent. Calori enim adjiciunt, inquietudinem majorem reddunt, diatheſin inflammatoriam augent, denique ſymptomata omnia graviora fient. Niſi igitur ad vomitum pacandum, ſymptoma in hoc morbo malum, irritationem dolorificam ex calculo, vel convulſiones removendas, omnibus aliis remediis incaſſum tentatis, nunquam utenda. Et verba Cel. Van Swieten * conſpirare videntur: Raro autem

* Comment. in Boerh. aph. vol. 3. p. 236.

autem his opiatis utuntur prudentes medici, nisi prius in morbis acutis inflammatoriis per sanguinis missionem, aliaque apta remedia, inflammationis vehementiam minuerint.

FINIS.